Oberbreyer, M. Analecta critica ad Taciti dialogum de oratorib. I.
Diss. Berlin 1875.

ANALECTA CRITICA

AD

TACITI QUI DICITUR DIALOGUM DE ORATORIBUS.

PARTICULA PRIMA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

ALMAE LITTERARUM UNIVERSITATIS

ROSTOCHIENSIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

MAXIMILIANUS OBERBREYER

SAXO-BORUSSUS.

BEROLINI.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS FEICHT.

MDCCCLXXV.

ANALECTA CRITICA

AD

TACITI QUI DICITUR DIALOGUM DE ORATORIBUS.

PARTICULA PRIMA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

ALMAE LITTERARUM UNIVERSITATIS

ROSTOCHIENSIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

MAXIMILIANUS OBERBREYER

SAXO-BORUSSUS.

BEROLINI.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS FEICHT.

MDCCCLXXV.

PATRI

OPTIMO CARISSIMO

PIO GRATOQUE ANIMO.

Prooemium.

Taciti qui dicitur dialogus de oratoribus malo videtur astro natus esse, namque auctorem habet incertum, commenticias inscriptiones, dicendi genus perquam depravatum. Quod ad primam spectat quaestionem jam pluribus ex saeculis multum tractatam, nullum scriptoris nomen nobis probabilius videtur quam Taciti, quem ut aetatis suae oratorem excellentissimum de causis afflictae eloquentiae a Fabio Justo prae omnibus ceteris consultatum esse veri est simillimum. Neque diversum scripturae genus, quod in dialogo et ceteris Taciti operibus invenimus, illi opinioni ullo modo adversatur, nam cum alia materia necessario aliam requirit dictionem, tum auctor etiam omnino non sua in medium protulit, sed aliorum modo disputationem iisdem, ut ait, numeris iisdemque rationibus ex recordatione repetiit. Praeterea quod scriptor hunc sermonem admodum juvenis audivisse traditur, id in Tacitum egregie quadrat, quippe juveni sibi filiam Julii Agricolae desponsam ac statim post ejus consulatum (anno LXXVII p. Chr.) collocatam esse ipse Agr. 9 extr. paucis retulit. Quidni igitur biennio ante sese admodum juvenem perhibere potuerit, quo quidem tempore dialogus secundum cap. 17 habitus est? Hoc

enim loco, sicut cap. 24 extr. numerus *centum et viginti* corruptus est atque *centum et duodeviginti* restitui debet, verba vero *sextam jam felicis hujus principatus stationem* integerrima sunt neminique facessunt difficultatem, nisi qui Vespasiani tunc etiam sextum consulis non meminerit, quam ob rem hic nomen stationis annum significare plane consentaneum et sat manifestum videtur. Quae cum ita sint, etiam argumenta Tacito scriptori nuperrime ab Andreseno (Tac. dial. de orat. für den Schulgebrauch erklärt Leipzig 1872 p. 1 sq.) opposita nos vel levioris vel nullius momenti esse ducimus. Putat idem inter alia quam maxime verisimile Tacitum isto tempore, quo hic sermo habitus sit, jam annum aetatis vicesimum quartum egisse, quem unde computaverit, equidem ignoro, sed eum quam maxime falsum esse certo scio. Nimirum ex Plinii Ep. VII, 20 satis constat Tacitum aetate eidem Plinio fere aequalem et paullo tantum natu majorem fuisse; hic autem, ut ex ipsius Ep. VI, 20 cognitum habemus, anno LXII p. Chr. natus erat. Ex quo efficitur, ut Taciti annus natalis circiter LIX p. Chr. fuerit ipseque juvenis fere sedecim annorum dialogum audiverit. Testis denique locupletissimus, Tacitum hunc sermonem litteris mandasse, est Plinius, qui non dubie ad dial. 9 extr. respiciens Ep. IX, 10 haec ad Tacitum scripsit: *Itaque poemata quiescunt, quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas.*

Prima contra juventus, Quinctilianum anno LXXV p. Chr. dudum fugerat, ut jam hanc ob causam de eo hujus sermonis scriptore cogitare non liceat. Nihilo minus vero factum est, ut ejusdem liber de causis corruptae eloquentiae scriptus a multis noster dialogus haberetur, licet in eo etiam nequaquam de corrupta, sed potius, ut cap. 27 distincte dictum legimus, de fracta et deminuta disceptetur eloquentia, ergo

utriusque operis argumenta admodum discrepent, id quod jam Spaldingius ad Quinctil. VI. pr. 3 animadvertit.

Itaque etiam Lipsiana dialogi inscriptio *de causis corruptae eloquentiae* utique reprobanda est. Nec minus tamen vetustus ille inepti cujusdam grammatici index *Corn. Taciti, equitis Romani, dialogus, an sui saeculi oratores antiquis et quare concedant* rejici debet. Imo etiam, quod viros vel doctissimos adhuc latuit, vulgata inscriptio *dialogus de oratoribus* suppositicia est, etenim quid simplex illud *de oratoribus* sibi velit? Quibus nam, quaero, de oratoribus? Genus igitur oratorum hic non minus indicari necesse erat, quam indicavisse fertur Cicero, Brutum is quidem *de claris oratoribus*, neque simpliciter *de oratoribus* inscribens. Proinde possit quispiam suspicari, attributum *recentibus* excidisse, sed id inseri nolim, ratus potius inscriptionem *de oratoribus* nihil esse nisi mancum additamentum alienum et solum dialogi nomen ab auctore profectum esse, ut fortasse etiam a Cicerone simplex Bruti nomen. Cfr. Dial. 30: *Ciceronis liber, qui Brutus inscribitur.*

Quod denique ad nostri libri dictionem a librariis vehementissime depravatam pertinet, permulti sane homines ingeniosi atque eruditi ad innumera menda corrigenda nuper quasi concurrerunt, nihilo autem secius plurima adhuc restant expurganda, cujusmodi non pauca ego quoque in hoc sermone lectitando reperi et nonnulla jamiam pertractabo, nunquam quidem, ut hoc attingam, in ulla conjectura comprobanda ad Nastii provocans auctoritatem nuperrime ab Andreseno (Act. societ. philol. Lips. I, 1, p. 108) tantopere elatam, ut eum adeo exemplari quodam dialogi emendatiore quam omnes ceteros interpretes usum esse suspicetur, qua ratione emendationum a se ex translatione Nastiana petitarum fides augeatur.

At vero, uti quilibet unum modo hujus interpretationis caput cum dialogo comparans prima specie intelliget, Nastius, de interprete is quidem p. XVIII omnino ita sentiens: »er darf seinen Schriftsteller nur so sprechen lassen, wie dieser in der Sprache des Uebersetzers müsste gesprochen haben« ideoque quam maxime licenter agens, permulta verba alias omittere, alias inculcare, sicut sententias tum divellere, tum vicissim coagmentare, tum transponere: uno verbo, minime accuratam quandam translationem, sed fere meram paraphrasim fabricari atque dialogum multo minus convertere quam evertere. Idcirco etiam haecce interpretatio non tam »plerisque ignota«, quam ut prorsus obsoleta ac mentione indignissima jam pridem ad acta rescripta est.

Quodsi haec analectorum meorum particula judicibus me longe et acutioribus et doctioribus haud displicuerit, mihi etiam atque etiam gratulabor, siquidem *principibus placuisse viris non ultima laus est.*

Cap. 1. cum singuli diversas *vel easdem*, sed probabiles causas afferrent, dum formam sui quisque et animi et ingenii redderent.

Eaedem causae et nullo dialogi loco allatae sunt, neque propterea, quod eisdem repetendis sermo plane nihil profecisset, afferri poterant, quamobrem vocabula *vel easdem* etiam huc vel illuc transponere non licet, sed potius aut corrupta aut insiticia judicare debemus. Alterum nobis probabilius videtur, quia quod sequitur *sed probabiles* manifesto ad antecedens *diversas* spectat, pro quo quidem Andresenus (Tac. dial. de orat. p. 69) *varias* exspectabat, quasi ubi in utramque partem disputatur, ibi omnino varia, nec potissimum diversa in medium proferantur. Quid quod illa diversitas ab ipso dialogi scriptore etiam dilucide explicata est? Deinceps enim idem ait: *Neque enim defuit, qui diversam quoque partem susciperet ac multum vexata et irissa vetustate nostrorum temporum eloquentiam antiquorum ingeniis anteferret.* Quae verba plane non attendens et quod fingit sermonis argumentum ab uno solo Messala tractatum cernens Andresenus etiam vocem *singuli* falsam existimat et cum ei adhuc conjunctio *dum,* quae est sanissima et ratione solum minus frequenti cum conjunctivo copulata (velut Liv. XXIV, 40: *dum praefectus juventutem Apolloniatium inspiceret.* Nep. Milt. 3. *dum ipse abesset.* Timol. 1: *dum res conficeretur*, contra Hannib. 2: *Quae divina res dum conficiebatur)*, intellectu difficilis videatur, sine ambagibus verba *singuli diversas vel easdem*, *sed probabiles causas afferrent*, *dum* tamquam interpolata uncis includit. Haec auctores antiquos emendandi via sane una omnium ex-

peditissima est, sed nos etiam de aureolo illo Gesneri praecepto (praef. ad Hor.) vehementer monet: »Si quid autem sit etiam, quod a vitiosa repugnantia liberare non possim, non ideo urere et secare licet, non grassari in libros, ut in discipulorum pensa solet emendatrix manus praeceptoris: sed nisi ita mollis, ita liquida, ita clara, ita unica sit emendatio, plane uti dubitare homini rerum perito non liceat, modestiae nostrae et bonorum librorum integritati potius ita consulamus, ut in margine, quid nobis videatur, indicemus«. Nostro igitur loco nihil nisi *vel easdem* ut apertum emblema alienum uncis includendum censemus, quod superesse jam Lipsius recte intellexit, nec minus Muretus. Vicissim autem Meiserus (krit. Stud. zum Dial. und zur Germ. des Tac. p. 11) illud *vel easdem* tantummodo contaminatum et *de eadem re* integrum esse opinatur. Haec tamen conjectura, ut de ejus origine altius repetenda reticeam, tam locum tenet praeposterum quam dicendi genus habet perversum. Primum enim verba sic collocanda erant: *de eadem re diversas.* An quisquam genitivo substituto probet *diversas ejusdem rei, sed probabiles causas?* Deinde *de eadem re* ad dialogi argumentum non potest non referri, nam alioqui numero plurali *de eisdem rebus* dicendum fuisset. Ecquis vero illa verba ad sermonis argumentum relata non absurda judicet? Cui conjecturae perparum prosperae ferme cunctae reliquae a Meisero in programmate proxime nominato (p. 6—34) expromtae tam sunt consimiles, ut propter probabilitatem ne una quidem nobis mentione digna esse videatur.

Ceterum alieno supplemento *vel easdem* haud dissimile insidet in his cap. 2 verbis: *quos ego in judiciis non utrosque modo studiose audiebam, sed domi quoque et in publico assectabar.* Vocabula *non utrosque modo* excipere debebant *sed alios quoque* vel similia. Schopenus igitur verba sic transposuit: *quos ego utrosque non in judiciis modo,* quod

quia parum videtur probabile, alii vocem *utrosque* expungi malunt. Sed ea expuncta copulatum *non modo studiose audiebam*, quo apte referatur, non magis habet quam *non utrosque modo*. Scriptor autem sine dubio omnino non numero numerum aut studium studio, sed loco loca opposuit. Ergo nihil, opinor, nisi hoc exaravit: *quos ego in judiciis studiose audiebam, sed domi quoque et in publico assectabar.*

Cap. 5. quid est tutius quam eam exercere artem, qua semper armatus praesidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus — ultro *ferat?*

Pro *ferat,* quae omnium Lb. Mss. lectio est, Lipsio auctore *feras* divulgari solet. Male quidem, sed adhuc nuperrime Andresenus *ferat* ut subjecto carens comprobari non posse opinatus est, quippe praegressum participium *armatus* (i. e. *qui armatus est*) plane non animadvertens. Num idem criticus verbi causa etiam Hor. Sat. I, 4, 115 sq.: *Sapiens* (i. e. *qui sapit), vitatu quidque petitu sit melius, causas reddet tibi* emendare conabitur? Ergo *ferat* simpliciter ad *armatus* referas, quod dicendi genus etiam graecum est Cfr. Hom. Il. 14, 58. *οὐδ' ἂν ἔτι γνοίη μάλα περ σκοπιάζων*; Soph. Aj. 154 sq. *τῶν γὰρ μεγάλων ψυχῶν ἱεὶς οὐκ ἂν ἁμάρτοι.*

Quinimo tertia verbi singularis numeri persona sine ulla relatione usurpata in sermone nec graeco nec latino reprehendi debet, licet quae ejusmodi exempla librarii intacta reliquerunt, ea ex longissimo jam tempore critici certatim summovere studuerint. Sed »qui negant id dicendi genus probum esse, temere negant. Nam si persona, de qua agitur, non est definita, *indefinita* ea necessario est. Quare *ellipsis* pronominis *indefiniti* vix est *ellipsis* et tertia verbi singularis numeri persona pronomine illo omisso non potest ullo modo nos offendere. Offendit vero viros doctos, sed pluralis numeri persona tertia offendit neminem. Quasi hujus alia quam illius

ratio sit et is, qui *aliqui* suppleri posse concesserit, negare possit *aliquis* suppleri posse« recte praecepit nuper vir quidam doctus ad Caes. B. G. V, 3. cfr. Dial. 37 extr.: *quo saepius steterit tamquam in acie quoque plures et intulerit ictus et exceperit, quo major adversarius et acriores pugnas sibi desumpserit, tanto altior et excelsior et illis nobilitatus discriminibus in ore hominum agit.* Cic. de Orat. I, 8, 30: *neque vero mihi quidquam, inquit, praestabilius videtur quam posse dicendo tenere hominum coëtus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velit, unde autem velit, deducere.* Soph. Aj. 1081. *ὅπου δ' ὑβρίζειν δρᾶν θ', ἃ βούλεται, πάρα.* Ceterum idem isque etiam apud Ciceronem non infrequens verborum *inquit* et *ait* usus est notissimus et jam a Bentleio ad Hor. Sat. I, 4, 79 ex parte consignatus, quo non improbato curtandem verba alia eo non perinde admittamus?

Cap. 6. Ad voluptatem oratoriae eloquentiae transeo, cujus jucunditas non uno aliquo momento, sed omnibus prope diebus ac prope omnibus *horis* contingit.

Ut Apro oratori rem in majus verbis extollere licuerit, nullo tamen pacto verbis *omnibus prope diebus* addere potuit *ac prope omnibus horis*, quae inter se quam repugnent, nemo non videat. Nimirum quod omnibus prope diebus usu venire modo dictum est, id profecto non uno tenore, ut aiunt, etiam prope omnibus fieri horis dici potest. Hae igitur temporis notiones diversissimae omnino non conjungi, sed disjungi debebant et *vel*, nec *ac* scribendum erat. Sed *vel* non magis pro *ac* substituam equidem quam *prope* post *omnibus* Andreseno praeeunte expellam, namque hac expulsione per se jam parum probabili nihil admodum proficimus, quia diei et horae notiones adhuc compositae sunt, cum sibi opponi debeant. Talem tamen oppositionem non desidero, quoniam Aprum credo non

diei et horae, sed diei et loci notionibus usum hoc dixisse: *omnibus prope diebus ac prope omnibus foris.* Haec enim fora sunt Julii, Augusti, alia ubi post rempublicam exstinctam judicia exercebantur, neque minus etiam, uti ait Martialis rauci causidici.

Cap. 6. Quod gaudium consurgendi assistendique inter tacentes et in unum conversos! coire populum et circumfundi coronam et accipere affectum, quemcunque orator *induerit!*

Andresenus hisce verbis *quid?* praefixit idque ex *id* pronomine, quod Cdd. praestent, restituisse sibi persuasit, nec vero aliis, quia Cdd. non *id quod,* sed *quod id* offerunt, ex quo *quid? quod* fabricari haud facile videtur. Veri saltem similius putes, quod Ritterus ex suopte ingenio suffecit *quod ibi gaudium,* sed hoc quoque nemo expetat, licet etiam Meisero (l. c. p. 12sq.) idem ut novum in mentem venerit.

Deinde Andresenus, quamvis in emendationibus suis adversus interpolationes non minimum disseruerit, ipse locos numerosos interpolare non dubitans verba *quemcunque orator induerit* sic adornavit: *quemcunque orator voluerit.* Nempe oratorem, si quem affectum in auditorum animis movere cupiat, eodem affectu sibi induendo finem spectatum assequi negat, quippe qui oratione, non pari affectu contingatur. Audio: at audias etiam argumenta contraria. Primum quidem, si quis ab altero aliquid accipit, idem utique necesse est alter habeat. Quod ipsum etiam in oratorem cadit, qui auditorum animos huc vel illuc flectere concupiscit. Itaque jam Quinctilianus XI, 3, 58 rectissime praecepit: *Quid vero movendis affectibus contrarium magis quam, cum dolendum, irascendum, indignandum, commiserandum sit, non solum ab his affectibus, in quos inducendus est judex, recedere, sed —?* Praeterea improbabile est Andreseni praeteritum *voluerit,* nam·

non accipio ab altero, quod hic mihi tradere voluit, sed tradere vult. Ergo *velit* hic dici debebat, sicut dixit Cicero de Orat. I, 8, 30: *posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velit, unde autem velit, deducere.* Tum oratorem audientium animos non solo suo affectu regere, sed simul etiam idoneo orandi genere, id nemo non per se intelligat. Ecquo enim alio modo orator affectum suum omnino declaret? Denique verbum *induerit* plane non habet, quod recte reprehendere queas. Cfr. praeter multa alia Ann. XI, 7. *magnum animum induisse.* Hist. IV, 57. *hostiles spiritus induisse.*

Cap. 6. Nam in ingenio quoque, sicut in agro, quamquam *alia diu* serantur atque elaborentur, gratiora tamen, quae sua sponte nascuntur.

Critici ea ducti opinione, ut vocabulum *gratiora* contrapositum habere debeat, varias corrigendi vias inierunt, veluti Ernestius proposuit, *quamquam utilia* vel *utiliora, quae serantur;* deinde Hoffmanus Peerlkampius *quamquam solidiora serantur diuque elaborentur;* tum Nissenus *quamquam et illa, quae diu serantur, atque elaborentur, grata sint, gratiora tamen;* denique Andresenus *quamquam solidiora* vel *validiora, quae seruntur atque elaborantur, gratiora tamen.* Has ego quas immerito dicunt conjecturas non amplius persequens modo memoratum volo, Aprum, ut sententiam suam: *extemporalis audaciae atque ipsius temeritatis vel praecipua jucunditas est* paucis confirmaret, nihil aliud nisi hoc addidisse, fructus ingenii agrique sua sponte nascentes operosis gratiores esse. Quales quidem operosi per se judicandi sint, non erat, cur latius enuclearetur. Frustra igitur critici expressum aliquod adjectivum sequente *gratiora* inferius requirebant. Huc accedit, quod verbum *serantur* non recte intellectum ad *alia* applicabatur, cum *conserantur* significans ad ingenium agrumque

referendum sit. Verum enimvero quid jam fiet de *alia?* Medicinam ei adhibe quam minimam, quam quidem propter ipsam exiguitatem a viris doctis nondum inventam esse persuasum habeo. Fac enim una litterula illi misero *alia* apposita mecum legas: *quamquam alias diu serantur atque elaborentur*, i. e. *quamquam ingenium agerque alias diu conserantur atque excolantur.* Ceterum *diu* ad ambo verba *serantur* et *elaborentur*, non ad unum *serantur* pertinet.

Cap. 7. Tum mihi supra tribunatus et praeturas et consulatus ascendere videor, tum habere, quod si non in *alio* oritur, nec codicillis datur nec cum gratia venit.

»Locus, inquit N. Heinsius, conclamatus.« Attamen multo minus librarii in causa sunt quam ipsi critici, qui prima quaeque commenta in latinum conversa temere supponunt ac tali ratione scriptores ex suis scriptis expellunt. Cujus generis quisquilias hoc loco plus triginta deprehendimus, cunctas eas quidem ex unico vocabulo *alio* a scribis corrupto oriundas. Has autem omnes recensere non operae foret pretium, sed potius oleum et operam perdere. Uno igitur defungar exemplo, quod est instar omnium. Ejus auctor est Andresenus, qui ex consuetudine sua non ita laudabili haud cunctatus est nostrum locum sic adulterare: *tum habere, quod non natalibus paritur nec codicillis datur nec* [*cum*] *gratia venit,* quod inventum his verbis interpretatur: *Was nicht durch den Vorzug der Geburt* (sic) *erworben, noch durch Handschreiben verliehen wird, noch um Gunst feil ist.* Initium interpretationis depromptum est ex cap. 8 *sine commendatione natalium,* ubi quidem de re longe alia sermo est atque nostro loco. Praeterea *venit* hic valet *contingit,* non *venditur.* Sed ad nostrum propositum revertamur. Apri verbis cap, 8 *cujus* (eloquentiae) *numen et caelestis vis* respectis nullo modo nobis

dubitare licet, quin idem de se hic confessus sit, supra tribunatus et praeturas et consulatus se animo efferri et aliquid habere caeleste, ergo innatum, non acquisitum, quod alterum eum hisce verbis indicasse existimo: *quod si non in alvo oritur, nec codicillis datur nec cum gratia venit*, i. e. *quod si non innascitur* cet. Cfr. cap. 10. *quibus natura sua* (i. e. *ortus suus) oratorium ingenium denegavit.* Bene quidem jam Pithoeus in nomen *alvo* incidit, sed secus *si* omisit, quo sententiam adeo perversam reddidit, ut Lipsius vocem *alvo* non satis capiens auctorem *albo* voluisse suspicaretur. Alvus hic ut alibi uterum designat. Praeter alia contendas Hor. Carm. IV, 6, 20. *matris in alvo.* Cic. Div. I, 20. *Cum praegnans Dionysium alvo contineret.*

Cap. 8. Ausim contendere Marcellum hunc Eprium — et Crispum Vibium — *non minus esse* in extremis partibus terrarum quam Capuae aut Vercellis —. Nec hoc illis *alterius* ter millies sestertium praestat — *sed* ipsa eloquentia, cujus —.

Critici *non minus esse*, rejicientes post *minus* aut *notos* vel *illustres* inserunt, aut post *esse* addunt *notos.* Vereor equidem, ut *non minus esse* recte intellexerint. Nimirum vocabulum *minus* hic est substantivum valetque *aliquid minus* ita ut *non minus esse* aliquanto plus quam *non minores esse* significet omninoque idem sit, quod *non minore esse numero atque honore.* Quod spectat ad dicendi genus adhibe Cic. Brut. 35. *cum autem ipsum audires sine comparatione, non modo contentus esses, sed melius non quaereres.* Ibid 52. *Vulgus interdum non probandum oratorem probat, sed — esse melius non sentit.* Caes. B. G. VII, 14. *multo illa gravius aestimare debere.* Apage igitur suppositicia adjectiva. Nec minus futilia sunt, quae critici post *alterius* inculcarunt

(*bis*, *alterius*) et post *ter millies* (*alterius bis millies*), quorum alterum Pichena, alterum Lipsius excogitavit. Illud Andresenus certissimum esse judicat, utpote a scholiasta ad Juvenal. IV, 81 egregie confirmatum, quasi hic lectionem nostri loci exhibuerit et si exhibuisset, ego ei nullam fidem haberem. Nihil enim hoc loco excidisse, sed unam potius litteram mutandam esse mihi quam maxime persuasum est. Auctor scilicet scripsit: *Nec hoc illis ulterius ter millies sestertium praestat*, i. e. *nec hoc illis plus quam ter millies sestertium praestat.* Quibus verbis sinceris Pithoeus, Lambinus, Freinshemius eo bene prospexerunt, quod *sed* ante *ipsa eloquentia* in Cdd. praecedente *se* syllaba oppressum restituebant. Gravi enim contraposito *sed ipsa eloquentia*, i. e. *sed una sola eloquentia*, haud scio an ad antecedentia nihil sit aptius. Neque minus huic gravitati respondent sequentia *cujus numen et caelestis vis.* Denique interpositis verbis *quamquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiae beneficio venisse* haecce subest sententia: *ad gloriam oratorum nihil interesse, utrum eloquentiae beneficio etiam grandes opes nanciscantur necne.* Hoc non dispiciens Andresenus nodum in scirpo quaesivit.

Cap. 8. nunc principes in Caesaris amicitia agunt *feruntque* cuncta.

Falsa verborum constructione fieri non poterat, quin hic locus et male explicaretur et verbo *geruntque* vel *reguntque* pro *feruntque* substituto pejus etiam corrigeretur. Illa quidem correctione Andresenus nos carere posse negat, at credat Judaeus Apella, non ego, qui eandem correctionem simul cum altera quam maxime falsam esse arbitror. Quis tandem quaero, nobis retulerit imperante Vespasiano, principe illo quidem solo omnium ante se principum in melius mutato (uti ait Tacitus Hist. I, 50) ac tam egregie strenuo ut teste Suetonio (Vesp. 8—11 et 24) inde ab imperii initio usque ad extremum vitae

spiritum cunctis muneribus imperatoriis perfungeretur, aliis hominibus cunctarum rerum regimen permissum fuisse? Nec minus tamen mirabilia Orellius etiam ex Cdd. scriptura *agunt feruntque* eruit, scilicet haecce: »*prorsus suo pro lubitu* (sic) *in civitate versantur, dum hos deprimunt ac spoliant, illos locupletant atque extollunt*; vel *pro suo arbitratu juste injuste, clementer severe in omnibus rebus agunt.*« Hi autem virorum doctorum errores notabiles ex uno eo fonte fluxerunt, quod omnes ad unum vocem *principes* nominativum habebant, cum sit accusativus cum verbo *agunt* jungendus. Hoc tamen loco *principes agunt* significat *partes principum reapse* (non specie) *agunt* sive *principes sunt*, quomodo etiam dixit Vellejus H. R. II, 124. *Potius aequalem civem quam eminentem liceret agere principem.* Suetonius Claud. 29. *Non principem, sed ministrum egit.* Tit. 6. *Participem atque etiam tutorem imperii agere.* Tacitus Ann. I, 4. *Specie secessus exsulem egerit.* Hist. II, 83. *socium magis imperii quam ministrum agens.* Jam quid valeat *feruntque cunta*, vix quisquam dubitet, cui non ignota sunt *praemia ferre*, *primas ferre*, *palmam ferre*, cetera. Est ergo *ferunt cuncta* idem ac *reportant* seu *nanciscuntur cuncta*, quae cuncta deinceps hisce verbis descripta legimus: *His igitur et honoribus et ornamentis et facultatibus refertas domos eorum videmus, qui se ab ineunte adolescentia causis forensibus et oratorio studio dederunt.*

Cap. 10. Quando enim *rarissimarum* recitationum fama in totam urbem penetrat? nedum ut per tot provincias innotescat.

Recitationes ab Asinio Pollione inductae (Sen. Contr. IV, 2) jam Horatii aetate, quia *puerique patresque severi fronde comas vincti coenabant et carmina dictabant*, tam frequentes erant, ut poeta Ep. II, 2, 67 recitatorum ad audiendum invitationes inter molestias suas urbanas retulerit, nec potuerit

facere, quin illos identidem (Sat. I, 3, 88 sq. I, 4, 74 sq. Ep. I, 19, 39. II, 2, 93 sqq. A. P. 474 sqq.) carperet. Nec postero tempore hae recitationes minus frequentabantur, quod auctores sunt Juvenalis I, 1 sqq. Persius I, 15 sqq. Martialis III, 44. Plinius Ep. I, 13. VIII, 12, alii. Itaque *rarissimarum* ad numerum referre non licet, quam ob causam non desunt, qui praestantissimas recitationes dictas esse velint. Ut hanc adjectivi *rarissimarum* vim concedam, propterea tamen, quod nequaquam omnes recitationes ut secundum Sen. Suas. 6 extr. jam ipse inventor Asinius Pollio expertus est, praestantissimae erant, sed potius perpaucae, unde illud cap. 9. *rogare ultro et ambire, ut sint qui dignentur audire*, particulam *etiam* sive *vel* sive *adeo* non possum non desiderare, quare pariter conjecturas *clarissimarum* et *praeclarissimarum* reprobo. Idcirco etiam Andresenus correxit atque edidit *rarissima harum*, quod ita interpretatur: *wann dringt einmal die so spärliche Kunde von diesen Vorlesungen in die ganze Stadt?* Haec vero interpretatio fere pejor etiam quam correctio usque quaque falsa est. Primum enim nuntius rarissimus omnino non potest in urbem universam aut adeo in omnes provincias Romanas penetrare, namque eo penetrans non jam est rarissimus. Deinde nuntians erat ipse auditores scriptorum suorum advocans recitator, qui quidem Romam, nec tamen tot provincias Romanas peragrare poterat. Tum merus recitationum nuntius etiam pervagatissimus recitatori admodum nihil profuisset. Neque igitur auctor simplicem, sed bonam famam hic intellexit, ut paullo ante dixit: *ne opinio quidem et fama — aeque poetas quam oratores sequitur*, quocum loco contendas Juvenal VII, 39 sq. *si dulcedine famae succensus recites.* Dial. 5. *ad urbis famam pulchrius.* Postremo *harum* pronomen ad medium caput praegressum referri debet, id quod nemini non displiceat. Quae cum ita sint, alia nobis tentanda est emendatio, neque ea altius videtur repetenda

esse. Aper enim cap. 9 non modo magnos recitatorum labores, verum etiam grandes eorum impensas commemoravit, quapropter eum hasce impensas cum successu suo levissimo componentem interrogasse censeo: *Quando enim carissimarum recitationum fama in totam urbem penetrat?* Cfr. Juvenal. VII, 45: *Nemo dabit regum, quanti subsellia constent.*

Cap. 10. tamquam eos, quibus natura *sua* oratorium ingenium denegavit, deterream a carminibus.

Andresenum *sua* vehementer offendit, utpote communi cogitandi ac dicendi rationi repugnans. »Neque enim, ait, sua quemque natura aut indoles facultate aliqua aut ingenio ornat, sed alma illa, quam omnium animalium matrem appellare solemus, natura, quae singulis bona sua distribuit et suam cuique dat indolem atque ingenium.« Poterat sane *sua* omitti, at non debebat, quod alterum Andresenus sua argumentatione nullo modo effecit, quae omnino cuipiam permira videatur. Namque aliud agens de alma matre natura cogitabat, ubi de hominis natura sermo est, qua ejus ortus (i. e. *Geburt*, uti dicta sunt *natura filius*, *frater*, *pater*, alia) designatur, ita ut verba *quibus natura sua oratorium ingenium denegavit*, idem valeant ac *quibus oratorium ingenium natu denegatum est* sive *non innatum est.* Similis est sententia verborum cap. 7. *quod si non in alvo oritur.* Ceterum quod *natura* et nascentiam et natum indicat, sicut verbi causa *scriptura* tam scriptionem quam scriptum, in eo, opinor, nemo offendet.

Cap. 10. ceteris *aliarum* artium studiis.

Hoc loco Andresenus molestum detegens pleonasmum et corruptionem vocis *aliarum* manifestam ducens ex suo arbitrio *altiorum* substituit, ut admodum impeditam et insolitam locutionem de medio tolleret. Verumtamen qui cap. 30. *omnem omnium artium varietatem* et Germ. 4. *nullis aliis alia-*

rum nationum connubiis (ad quae verba vide Passovii notata) non improbat, is etiam *ceteris ceterarum artium studiis*, si auctor ita scripsisset, refutare non posset. Quidni igitur perinde *ceteris aliarum artium studiis*, etiamsi alibi non inveniatur, aequi bonique faciamus? Nam »si singularia omnia et semel tantum observata damnamus et emendamus: ilicet, quantam partem latinitatis abolebimus?« Gesnerus ad Hor. Sat. I, 4, 26 prudenter praecepit.

Paullo post in verbis *cum natura tua in ipsam arcem eloquentia ferat* Halmio suasore *te* pronomen ante *tua* a Rittero et Andreseno illatum est, quod Acidalius majore saltem cum probabilitate ante *ferat* inseruit. Equidem tamen neutrum desidero, etsi pronomini, si in Cdd. exstaret, locum minime denegarem. Cur enim *ferat* non ita accipiamus, ut *ducat* significet, qua vi verbum ferendi haud raro sine pronomine personali usurpatum reperimus? Nota sunt *vestigia ferunt*, *via fert*, *tempus fert*, *opinio et spes fert*, *voluntas fert*, *animus fert*, alia.

Cap. 10. non paterer immanes illos et ad pugnam natos lacertos levitate jaculi aut *jactu* disci vanescere.

Recte nonnulli viri docti hic jactum disci levitati jaculi absurde oppositum esse animadverterunt, sed quod ideo nomen *jactu* confidenter exstinxerunt, id mihi nimis festinanter factum videtur. Nonne corruptum ablativum *jactu* potius in integrum genitivum *jactus* commutare praestet?

Quae deinceps sequuntur verba *cum praesertim ne ad illud quidem confugere possis, quod plerisque patrocinatur, tamquam minus obnoxium sit offendere poetarum quam oratorum studium*, nec recte explicata et perperam correcta sunt. Paraphrasta Nastio facem praeferente Andresenus post *plerisque* nomen *poetis* ingessit, enarrationem de plerisque suis

poetis subjungens, cujus nullum vocabulum scriptor prodidit. Mallem potius attendisset hic *plerisque*, ut creberrime alibi *plurimis* denotare, quo respecto fortasse suo abstinuisset additamento. Cfr. Nep. praef., Milt. 7, Timoth. 4 et permultos Taciti locos a Boetticbero in lex. Tacit. p. 359 sq. compositos. Praeterea pro verbo *offendere* Acidalius *offensae* et Pithoeus *offensis* supposuit et cum alii critici *offensae* infinitivo *offendere* anteferrent, alii hunc loco dativi fungi judicarunt. Pars vero utraque adjectivum *obnoxium* secus intelligens egregie falsa est, id quod sat manifestum videtur. Conjugatis scilicet verbis *obnoxium sit offendere* vel *offensae* quale, quaeso, evadit patrocinium? Tale utique, ut minus poetarum quam oratorum studium aliis offendendis expositum sit. Num autem quisquam hanc majorem offendendi immunitatem aliquod poetarum patrocinium dicat, quo iidem de offensione sese excusare possint? Ergo liquet, puto, adjectivum *obnoxium* nullo pacto *expositum* valere, sed longe aliud. 'Est enim idem atque *noxium* seu *poena dignum*, noto sequente accusativo cum infinitivo, qui infinitivus est substantivum verbale cum accusativo subjecti. Constructio igitur verborum haec est: *tamquam minus obnoxium sit studium poetarum quam oratorum offendere* i. e. simpliciter: *tamquam minus obnoxium sit offendens poetarum quam oratorum studium*, quod si quis hunc locum quam expeditissimum redditurus receperit, me non habebit adversarium, quamquam exquisitiorem Cdd. lectionem praefero equidem.

Cap. 10. meditatus videris *aut* elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam.

Corruptam aut omnino insiticiam esse *aut* particulam quasi in oculos incurrit. Itaque eam jam Putedanus et Lipsius expunxerunt, alii contra emendare maluerunt. Omnium vero emendationum, quae fere sunt *ante*, *hanc*, *ut*, *ultro*, *etiam*,

diversis de causis mihi nulla arridet putoque potius *aut* ex compendio exstitisse et plenum vocabulum *autem* fuisse, quod in explicationibus multum frequentatur. Cfr. Cic. Tusc. I, 2: *duxerat autem consuille in Aetoliam, ut scimus, Ennium. V*, 23: *erant autem principes mecum. Brut.* 75. *complures autem legi.*

Magis controversa sunt haec verba insequentia: *Sentio quid responderi possit: hinc ingentis ex his assensus, haec in ipsis auditoriis praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri. Tolle igitur quietis et securitatis excusationem, cum tibi sumas adversarium superiorem.* Vocabulis *ex his* sine dubio in margine adscriptis, unde in ordinem verborum inscite translata sunt, interpres *hinc* explicare voluit, quamobrem Mureti et Acidalii conjectura *exsistere* parum est probabilis, praesertim cum verbum deficiens concitatae Apri dictioni perbene respondeat. Cfr. Cic. Cael. 25: *Hinc illae lacrimae nimirum et haec causa est horum omnium scelerum et criminum.* Tac. Hist. IV, 14: *Hinc invidia et compositae seditionis auctores perpulere, ut delectum abnuerent.* Dial. 36. *Hinc leges assiduae et populare nomen, hinc* cet. Cur infinitivus *existere*, cum quaelibet alia verbi forma ultro suppleri possit, mente concipi nequeat, nos vellem repugnans Andresenus docuisset.

Gravius autem est, quod complures viri docti post verba *sermonibus ferri* ob sequens *tolle igitur* e. q. s. nonnulla desiderant. Itaque jam Nastius secundum suam interpretandi rationem, quam in prooemio attigimus, hunc locum ita adornavit: *Ich gebe es zu. Nur entschuldige dich nicht mit der Sicherheit und Gefahrlosigkeit der Dichtkunst, sobald du einen höhern Gegner an das Ziel stellest.* Qua paraphrasi vix quidquam reperias perversius. Lacunam tamen etiam alii hic sibi detexisse visi sunt, quam Bernhardyus toto enuntiatio inde ab *sentio* usque ad *ferri* tollendo expleri vult, non ani-

madvertens is quidem tali modo novam exoriri lacunam. Duplice enim ratione Aper Maternum oppugnat, nimirum argumentis tam a poesi quam a poeta repetitis. Quod ad poesim pertinet eam offendentem negat aeque excusari posse atque oratorum offensam. Tum verbis *meditatus videris* e. q. s. sese ad ipsam poetae personam convertit eumque meditatae ostentationis ac periculosae ambitionis insimulat, quocirca adversarium superiorem offendens sua quiete et securitate non excusetur. Nulla autem periculosae illius ambitionis mentione facta vel ea Bernhardyo auctore deleta, quo verba *tolle igitur* cet. apte referas? An ad *meditatus videris — dicturam?* Proinde nihil expungi debet, neque nos corrigere, sed intelligere oportet. Mirantur vero critici, quod Aper responsum ab ipso allatum tamquam refutando impar non redarguat. Verumtamen id adeo graviter redarguit, quod qui *igitur* particulam recte accipit non infitiabitur. Plena enim Apri sententia haecce est: *tolle ob hos ingentis assensus, ob has praecipuas auditoriorum laudationes, ob hos omnium sermones quae omnia tutemet commovisti, tuae quietis et securitatis excusationem.* Scilicet nomina *quietis et securitatis* ad ipsum Maternum, nec secundum Nastium aliosque ad ejus poesim referri debent. Significant hic *quies* et *securitas* abstinentiam et incuriam rerum civilium, quemadmodum ait Nepos Att. 7: *Attici — quies tantopere Caesari fuit grata.* Pelop. 4: *Hoc tam turbido tempore — Epaminondas — domi quietus fuit.* Ceterum Maternus orator et poeta propter tyrannorum sugillationem a Domitiano undeviginti annis post Catonem conscriptam morte non mulctatus est, licet id Andresenus (Dial. p. 6, 7, 23, 26) ad Dionis Casii testimonium provocans minime dubium existimet. Hic enim auctor (LXVII, 12) de Domitiano dilucide refert: *Μάτερνον δὲ σοφιστην, ὅτι κατὰ τυράννων εἶπέ τι, ἀπέκτεινε.* Nec nostro Materno ob suam, Catonem a Vespasiano cruentum supplicium metuendum erat

quamobrem quae Andresenus de hac tragoedia disputat, mera sunt commenta. Cfr. Suet. Vesp. 13—15.

Denique etiam integerrima sunt hujus capitis verba extrema: *in quibus* (controversiis) *expressis*, *si quando necesse sit pro periclitante amico potentiorum aures offendere, et probata sit fides et libertas excusata.* Quid vox *expressis* sibi velit, non assequentes critici alii excogitarunt *expressit si quando necessitas* vel *expressum si quando necessitate sit* vel, quod nuper inventum vix serio excipias, *ex professo*; alii, quos illud *caede*, *concide* juvat, idem vocabulum expulerunt, quod alii quidem servarunt, sed male interpretati sunt aut *expositis* aut *extortis*, ubi dumtaxat de controversiis agitur tuendis. Cunctos hos errores nihil nisi falsa verborum *in quibus expressis* copulatio secum tulit, etsi rectam reperire non admodum difficile videtur. Nonne enim quaeris, quanam re et probata sit fides et libertas excusata? Neque haec res est omissa, sed inest in voce *expressis,* i. e. *verbis expressis* seu *expresse.* Quod ad ellipsim nominis *verbis* spectat, praeter alia contendas Ann. XVI, 8: *Silanum increpuit isdem quibus patruum ejus Torquatum.* Sall. Jug. 19: *Cetera quam paucissimis absolvam.* Cic. Fam. XI, 24: *Quam multa quam paucis.* Cluent. 16: *Ne multis, Diogenes emitur.* Orat. 29: *Complectar brevi, disseram pluribus.*

Cap. 11. parantem, inquit, me non minus diu accusare oratores quam Aper *laudaverat* — mitigavit.

Plusquamperfectum *laudaverat* Andresenus ita modo intelligi posse censet, ut oratorum accusatio a Materno spectata jam inchoata cogitetur, cui Aprina oratorum laudatio antegressa dicatur. Haec tamen defendendi ratio nequaquam probabilis est, nam qui se adhuc parat aliquid facere, is nullo modo idem jam faciens cogitari potest. Neque Maternus post

Aprinam oratorum laudationem, sed inter eam se ad respondendum paravit, nescius ille quidem, quamdiu Aper oratores laudaturus esset. Quam ob causam omnino conjunctivum requirens *laudaverit* sincerum esse credo.

Cap. 11. cum quidem *in Neronem* improbam et studiorum sacra profanantem *Vatinii* potentiam fregi.

Hic locus interpretes ex tempore longissimo mirabiliter exercuit et in errores diversissimos induxit. Lb. Mss. *in Nerone* vel *in Neronem* et *vaticinii* pro *Vatinii* offerunt. Alterum jam Fr. Gronovius egregie correxit, sed de vocibus *in Nerone* vel *in Neronem* non solum idem Gronovius secus judicavit, sed et omnes omnino critici ex tribus saeculis hodieque certatim errarunt, ita ut Orellius amplum quem ad hunc locum contexuit excursum his verbis finire cogeretur: »Ultro igitur confiteamur necesse est hunc Taciti locum densis tenebris obsitum nostris temporibus liquido intelligi jam non posse.« Potest autem noster locus liquidius intelligi idque etiam sine Hauptii immutatione veridissimillima *imperante Nerone*, dummodo verba non amplius praepostere construas. Quid quod nobis rectam eorum constructionem ipse Tacitus alibi clarissime suppeditat? Tradit enim Ann. XV, 34 haec de Vatinio: *dehinc optimi cujusque criminatione eo usque* (apud Neronem) *valuit, ut gratia, pecunia, vi nocendi etiam malos praemineret.* Nonne hinc vocabula *in Neronem* nequaquam ad verbum *fregi*, sed ad nomen *potentiam* referenda esse manifesto elucet? Quod nemo non perspexisset, si scriptor *in Neronem* post *potentiam* posuisset, nec consulto usitatio rem verborum collocationem secutus esset. Cfr. Caes. B. G. VI, 19: *Viri in uxores, sicut in liberos vitae necisque habent potestatem.*

Cap. 11. nec comitatus istos et egressus aut frequentiam *salutationum* concupisco.

Pro *salutationum* Schelius *salutantium* supposuit, quae correctio Andreseno evidens videtur. Ego eam evidenter supervacaneam conseo et concreto adeo abstractum praefero. Adhibe Nep. Epam. 6: *coram frequentissimo legationum conventu.* Caes. B. G. II, 35: *quas legationes Caesar — reverti jussit.* VIII, 11: *equites — praesidio pabulationibus mittit.* Liv. III, 47: *filiam suam cum ingenti advocatione in forum deducit.* Dial. 37: *Similis eloquentiae conditio.* Cic. Tusc. V, 18: *ut stultiticia — nunquam se — satis consecutam putat: sic sapientia semper ėo contenta est, quod adest.*

Cap. 11. statum *hucusque* ac securitatem melius innocentia tueor quam eloquentia.

Cdd. praestant *cujusque*, quod Lipsius in *hucusque* mutavit, pro quo quidem valde dubio vocabulo quispiam secundum cap. 34 extr. et Germ. 3. *hodieque* malit. Suum hucusque statum ac securitatem Maternus dicit suam quietem et iniuriam civilem, quas potius innocentia defendat quam eloquentia. Simplex *hucusque* pro adjectivo positum est, ut Ann. II, 20 *superne* et XII, 61 *extrinsecus.* Quod praeterea Andresenus eodem *hucusque* ex scriptoris conditione etiam maestum extremae Materni sortis indicium contineri opinatur, id comprehendere nequeo, quia ista permira foret caedis cujusdam divinatio, quam equidem omnino non consecutam esse jam ad cap. 10 comprobavi. Neque ipse Maternus cap. 13 extr. sibi aliam mortem ac naturalem auguratus est. Sed nihilominus Andresenus deinceps not. ad cap. 14 in. cruentum suum supplicium retinet, verba quidem *concitatus et velut instinctus,* quae ad Messalae habitum spectant, ad Maternum (sicut in Emendat. p. 142) referens, qui *remissus* disputaverat. vide cap. 11.

Cap. 12. quod (carmina) non in *strepitu* nec sedente ante ostium litigatore nec inter sordes ac lacrimas reorum componuntur.

Schopenus *urbis* post *strepitu* addit, quod Andresenus approbans recepit. Tales tamen quasi emendationes ingrata tantummodo negotia criticis facessunt. Sine dubio nemora et luci et secretum ipsum, quibus modo collaudatis Maternus jam contraria opponit, non minus strepitu vacant quam litigatore ante ostium sedente et sordidis ac lacrimantibus reis. Propterea *strepitu* additamentum *urbis* non magis requirit quam ostium obsidens litigator aut rei sordidi ac flentes. Videritne etiam Schopenus, qua ratione suum *urbis* inferciat Hor. Ep. II, 2, 79sq.: *Tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos vis canere?*

Cap. 12. Haec eloquentiae primordia, haec penetralia; hoc primum habitu cultuque *commoda* mortalibus in illa casta et nullis contacta vitiis pectora influxit.

Vocem *commoda*, quae in Lb. Mss. exstat, Orellio interprete idem est ac *grata et jucunda*, *gefällig*, *anziehend*, quod etiam Mureti et Acidalii conjectura *commendata* fere indicari opinatur. Reprehendit igitur Bipontinos explicantes *hominibus opportunam, eorum commodis inservientem*, quia hic de poesi, non de eloquentia forensi agatur, quem mirum errorem refellere non est operae pretium. Sed *commoda*, sive est grata sive utilis omnino non probari potest, etenim quod hominibus jam est vel gratum vel utile, id non amplius in eorum pectora potest influere, sed in eis jam inest. Deinde quod influit ex fonte aliquo fluere debet, unde adjectivum *commoda* corruptum et participium quoddam reponendum esse satis liquet. Neque vero *commendata*, quod per se quidem non improbandum (cfr.

Cic. Arch. 8: *poetae quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis)*, sed minus verisimile Ritterus et Andresenus adoptarunt, receptum voluerim, sed potius quod etiam Lipsio in mentem venerat, Freinshemii *commodata*, quod verbum auctor sic enarrat: *Vult eloquentiam etiam homini coelitus utendam datam, ut alia bona.* Quae enarratio quam recta sit, patet ex cap. 8: *cujus (eloquentiae) numen et caelestis vis.* Ceterum verbum commodandi, ut notum est, aetate argentea crebrius nihil nisi *dare* valet. Cfr. Agr. 19: *parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare.*

Major autem corruptela et ex interitu duarum syllabarum et ex verbi distractione orta adhuc inest in verbis cap. 26: *unde oritur illa foeda et praepostera, sed tamen frequens sicut his clam et exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur.* Depravata verba *sicut his clam et* critici alii ejecerunt, alii eorum in locum praeter alia suffecerunt *sicut scitis* vel *ut sic dixerim* vel *sicut hiscunt clausula et* vel *sicut scitis clausula et* vel *saeculi hujus gloria et* vel *sicut scitis, plaudentium* (vel *fautorum*) *excl.* vel *clausula et* vel *laus et* vel *audientium.* Andreseno dictu difficile videtur, quid de illis verbis, quae uncis inclusit, fieri debeat. Ego de iisdem, quamvis omnes conjecturae propositae perquam sint futiles, nondum desperaverim, namque non dubito, quin in *his* pronomine lateat *histrio*, quod nomen etiam subsequente *histriones* requiritur, quemadmodum succedente voce *exclamatio* antecedens verbum *clamet.* Sonat vero *sicut histrio clamet* idem atque *sicut clamet histrio licet, non orator.* Ceterum locum similiter, tam verbi distractione quam pracedentis vocabuli monosyllabi exstinctione afflictum adhuc cap. 30 invenimus. Verba sunt haec: »quorum *(rhetorum)* professio quando primum in hanc urbem introducta sit quamque nullam apud majores nostros auctoritatem habuerit, statim *de curiis* referam necesse est animum ad eam disciplinam« e. q. s.

Corruptam paene omnium Cdd. scripturam *de curiis* Fr. Gronovius in *dicturus*, Acidalius in *dicam, prius*, Halmius in *dicturus, prius* commutari voluerunt, cum alii viri docti *non latius* vel *jam non persecuturus* anteferrent. Gronovianum *dicturus*, licet hodieque divulgari soleat, in hunc locum, ubi Messala, sine rhetorum mentione is quidem orationem suam cap. 32 finiens eamque solum Materno auctore continuans atque ita modo ad rhetoras cap. 35 rediens, de rhetoribus posthac amplius loqui omnino non in animo habebat, minime quadrat, ut jam identidem comprobatum est. Neque vero ceterarum emendationum ulla mihi digna videtur, quae recipiatur. Itaque *decurrens* ex *de curiis* elicui, quod jam in Cd. Ottoboniano exstare postea cognovi. Sed ante *decurrens* sine dubio *non* excidit. Lege igitur *statim non decurrens*, quod est idem atque *statim non percurrens*, qua significatione verbum decurrendi minus notum a librariis facilius adulteratum est.

Cap. 12. lucrosae hujus et *sanguinantis* eloquentiae usus recens et ex malis moribus natus.

Pro Cdd. scriptura *sanguinantis* jam ed. Junt. *saginantis* exhibet, quod idem postea Lipsius suspicatus est. Alii *sanguine manantis* vel *sanguini inhiantis* anteposuerunt. Andresenus *sanguinantis* ita defendit, ut id interpretetur *bluttriefend*, in qua significatione sese non offendere ait, quasi in ea ipsa unquam quisquam offenderit. Recte autem quaeritur, quid omnino sit *eloquentia sanguine manans* et quo tandem modo talis eloquentia cum lucrosa componi queat. Itaque jam Lipsius hanc significationem hic aptam esse recte infitiatus est. Neque Orellii lectionis vulgatae explicatio *sanguini inhiantis (ex delatorum more)* cum eloquentia lucrosa conciliari potest, quacum solum eloquentia sanguinem (i. e. *opes clientium*, ut Cic. Sest. § 78 aerarium dixit rei publicae sanguinem) sugens bene convenit. Est igitur *sanguinantis* nostro

loco nihil aliud nisi *sanguinolentae*, eadem quidem vi, qua Seneca centesimas dixit sanguinolentas i. e. *sanguisugas*, quocum nomine Tullianum *aerarii hirudo* conferas.

Tacitus autem, ut hoc addam, non tantum adjectiva et substantiva pari vel simili significatione saepenumero conjugavit, sed etiam sententias idem vel simile sonantes non ita raro contexuit. Hujus generis eminens exemplum nobis in cap. 19 ineunte ab auctore quidem relictum, sed a librariis obrutum et a criticis nondum erutum est. Verba sunt haecce. *Nam quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent, qui usque ad Cassium, quem reum faciunt, quem primum affirmant flexisse ab illa vetere atque directa dicendi via, non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum transtulisse se ad illud dicendi genus contendo, sed judicio et intellectu.*

Critici hujus loci sanandi vias valde diversas inierunt. Ritterus inter *qui* et *usque* verbum *patescit* vel *pertinet* intercidisse arbitratur, alii *qui* et *quem reum faciunt* delent, alii *qui usque ad* et *quem reum faciunt* expungunt, alii *quem usque ad Cassium Severum faciunt* aliique etiam alia legunt. Verbis *qui usque ad* et *quem reum faciunt* uncinatis Andresenus hunc locum egregie purgatum putat, praesertim vocabulis *quatenus — constituere solent* in parenthesim redactis. Ex hac tamen parenthesi, quae omnino subsequi debebat, mirum in modum praemissa auctor *hunc* pronomen ad postpositum Cassium Severum referri vult, quem ipsum simul lapidem limitarem constitutum facit, cum terminus modo usque ad ipsum ut recentiorum oratorum principem constitutus dicatur. Tametsi *hunc* pronomen sic explicare licet, ut valeat *hunc, quo de agitur*, tamen et ita ipse Cassius Severus permanet absurdus lapis limitaris, nec abruptus perplexusque ad eum transitus ullo pacto probari potest. Verum enimvero ad hunc locum recte corrigendum nobis Cd. Leidensis viam mu-

nivit, quippe, post *solent* signum interrogandi offerens sed in eo librarius, quod super *qui* expunctum *an* scripsit, vehementer erravit, quamquam id Trossius recepit atque idem, dudum ab Orellio explosum nuperrime criticus Meiserus (l. c. p. 6) velut eximiam rem novam magnopere laudavit. Primum enim usus *an* particulae falsus est, quia quaestionis contrarium non sequitur. Deinde interrogatio, quae responsum continet clarissimum, non jam est interrogatio. Denique in ficta Apri responsione *non infirmitate — intellectu* infinitivus *transtulisse* pronomine *hunc* caret, quo post *via* signo interrogandi illato carere nequit. Nihilominus et ego alteram quaestionem, sed eam longe aliam ac scribae Cd. Leidensis restitutam volo. Nimirum *qui* ante *usque* manifesto corruptum est, quare cum acriori Apri sermoni tum duplici *quem* succedenti convenienter scriptorem *quousque?* exarasse credo, quam secundam quaestionem aptissimum excipit Apri responsum *ad Cassium, quem reum faciunt, quem primum affirmant — non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum transtulisse se ad illud dicendi genus contendo, sed judicio et intellectu.* Ut vero *transtulisse* recte ad alterum *quem* referatur, simplex *non* ex usu vulgari pro *non vero* positum esse non reticeam.

Cap. 12. Nec ullis aut gloria *major* aut augustior honor.

In Lb. Mss. pro *major*, quod Lipsius conjecit, *more* cum lacuna notata vel *more* cum suprascripto *in ore* et lacuna notata aut non notata vel *more* cum vacuo spatio vel *in ore* cum lacuna invenimus. Lipsii conjecturae Ritterus *erat* addidit et ante eam Michaelis *mortalibus* inserendum censet. Mihi Lipsianum *major* non tantam probabilitatem aut externam aut internam habere videtur, ut id retineam. Etenim omnino non liquet, qui fieri potuerit, ut vocabulum illud brevissimum notissimumque a librariis tantopere depravaretur,

Tum simplex major poetarum gloria quam aliorum hominum mihi ideo non satisfacit, quod poetae quasi divino quodam spiritu inflati animos longe altiores habebant, ut non solum quisque sibi optimus videretur, verum etiam omnes sese immortales ducerent. Ait igitur verbi gratia Horatius Carm. II, 20, 6 sqq. *non ego — obibo nec Stygia cohibebor unda.* Carm. III, 30, 6 sq.: *Non omnis moriar multaque pars mei vitabit Libitinam.* Ovidius Am. I, 15 extr.: *Ergo etiam, cum me supremus adederit ignis, vivam parsque mei multa superstes erit.* Met. XV, 874 sq.: *Parte tamen meliore mei super alta perennis astra ferar.* Neque Maternum arbitror hoc loco minus dixisse, quam ob causam *gloria morte carens*, quo nos etiam sequens, *augustior honor* ducere videtur, a scriptore profectum esse suspicor equidem. Quacum conjectura simul spatium lacunae Lb. Mss. apte explente confer Prop. III, 2, 23 sq.: *At non ingenio quaesitum nomen ab aevo excidet: ingenio stat sine morte decus.* Augustior autem poetarum honor dicitur, uti eos Ennius sanctos appellavit. Quod denique ad rarius substantivum *ullis* pertinet, praeter alia adhibe Cic. Phil. XIII, 7 et Caes. B. G. I, 8.

Cap. 13. qui *(populus)* auditis in theatro Virgilii versibus surrexit universus et forte praesentem *spectantemque Virgilium* veneratus est sic quasi Augustum.

Nomen *Virgilium* Ernestius et Peerlkampius, quos etiam alii secuti sunt, in suspicionem adduxerunt, licet similes repetitiones apud Tacitum saepius inveniri vix cuiquam ignotum sit, neque Ernestium fugerit. Huc accedit, quod hoc loco ne supervacanea quidem exstat nominis repetitio, sed potius pernecessaria, scilicet ut infima Virgilii persona summae Augusti aequipararetur. Graviter igitur et cum accentu nomen poetae repetitum est, non, ut Ernestius opinabatur, frigide. Sed lon-

gius etiam Andresenus processit, quippe non tantum *Virgilium,* sed etiam *spectantemque* ut, voces interpolatas de medio tollens. Quem conatum his verbis defendit: »da es für den Zusammenhang nichts austrägt hervorzuheben, dass Virgil *in dem Augenblick der Huldigung* zuschaute.« Ergo Virgilius traditus sit in theatro quidem fuisse, nec vero assidue, attamen ipso venerationis momento spectavisse! Unde haec fabella hausta sit, me prorsus latet, qui *praesentem spectantemque* aeque synonyma esse existimo atque cap. 18 *inflatus et tumens.* Agr. 4 *incensum ac flagrantem.* Hist. I, 31 *incipiens adhuc et necdum adulta.*

Cap. 13. quod, cum quotidie aliquid rogentur, ii quibus *praestant* indignantur? quod alligati *cum* adulatione nec —?

Lipsius ante *praestant* parum probabiliter *non* ins. nec pluris facienda sunt, quae alii proposuerunt, *quibus nullam opem praestant,* aut *quibus praestant perinde et quibus non praestant.* Cum Cdd. praeter *ii* etiam *hi* et *in* offerant et auctor non simpliciter *ii* aut *hi* ac multo minus etiam *in* scripsisse possit, nec omnino de animis clientium, sed oratorum agatur, mihi illa pronomina non minus quam *in* praepositio suppositicia esse videntur, quocirca modo legam *quibus praestant indignantur* i. e. *quibus rogata praestant, cum eis stomachantur.* Praeterea etiam insequens *cum* praepositio depravata est, qua de causa eam critici alii delent, alii in *omni* vel in *humili* vel in *canum* converti malunt. Nobis horum medicamentorum nullum placet verique videtur similius vocabulum *cum,* ut etiam hujus et praegressae sententiae concinnitas postulat, ante *alligati* locum habens a librariis praepostere cum *adulatione* copulatum esse. Fac igitur nobiscum reponas: *quod, cum alligati adulatione,* sc. *sint,* quemadmodum *essent,* omissum est Ann. I, 65: *cum — apud Romanos*

invalidi ignes, interruptae voces. Cfr. Hor. Carm. I, 20, 3 sq.: *datus in theatro cum tibi plausus* (sc. *est*), uti Sat. I, 10, 33: *cum somnia vera* (sc. *sunt*). Idem poeta *sim*, *sis*, *sit*, *sint* Sat. I, 6, 53. II, 5, 54. II, 4, 10. II, 3, 246 omisit.

Cap. 13. Me — in illa sacra *illosque fontes* ferant, nec insanum ultra et lubricum forum famamque *pallentem* trepidus experiar.

Non post *illosque*, ut Rittero visum est, sed post *sacra* intercidit *ad* praepositio. Orellius enim minus caute ait: »magis hoc utique proprium, sed simul languidissimum fuisset in oratione tam concitata et alti spiritus plena.« Quae scribens jam oblitus erat verborum cap. 11: *remissus et subridens Maternus — inquit*, quibus respectis etiam verba cap. 14: *concitatus et velut instinctus* ad festinantem et quasi interno quodam motu actum Messalam, non ad Maternum referenda sunt. Recte vero Orellius Hauptianum *illasque frondis* refutavit. Deinde pro vulgato *pallentem* in Lb. Mss. etiam *palantem* vel *pallantem* deprehendimus. Quid fama sit palans sive erratica, me non dispicere fateor ingenue. Nec tamen idcirco famam pallentem sive pallidam, qualem quidem dicas invidiam, curam, morbum, mortem, cetera, ullo modo probaverim, nam qui potest aliquid, quod non habemus, nos pallidos reddere? Una autem litterula correcta attributum habebis sincerum. Nimirum auctor non dubie, opinor, *famamque fallentem* exaravit, i. e. *vitream*, ut Horatius Sat. II, 3, 222 belle dixit.

Maximilianus Oberbreyer

De Vita Sua.

Natus sum Magdeburgi anno MDCCCLI die St. Joannis memoriae sacrato patre Ludovico, matre Mathilda e gente Robrahna, quibus optimis carissimisque Dei gratia adhuc vivis gaudeo quam maxime. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium adii regium cathedrale, quod Magdeburgi Cl. Wicherto rectore etiam nunc laetissime viget. Eo per septennium frequentato gymnasium petii Rudolphopolitanum illo tempore Cl. Rehdantzii, egregii praeceptoris, hodie Cl. Klussmanni auspiciis florentissimum. Ineunte vere anni h. s. LXXII maturitatis academicae testimonium adeptus, ut studiis philologicis historicis philosophicis me dederem in academiam Lipsiensem discessi ibique per duo semestria Vv. Ill. Ritschelium, G. Curtium, Ecksteinium, Zarnckium, Hildebrandum, Voigtium historicum nec non Drobischum philosophum et Zillerum paedagogum audivi. Deinde Heidelbergam migravi ubi almae Ruperto-Carolinae civibus adscriptus Vv. Ill. Ribbeckio, Koechlyio, Bartschio philologis; Wattenbachio et de Treitschkio historicis, K. Fischero philosopho magistris usus sum. Tum Halas Saxonum me transtuli ac scholis interfui Vv. Ill. Bernhardyi, Keilii, Zacheri; Erdmanni, Haymii; Krameri. Postremo Berolini, quo verno

tempore anni h. s. LXXIV profectus sum, in litterarum universitate Friderica Guilelma Vv. Ill. Huebnerus, Kirchhoffius, E. Curtius; Mommsenus, Kiepertius, Droysenus; Grimmius per plura semestria me instituerunt.

Ceterum seminariorum regiorum philologicorum Lipsiensis et Heidelbergensis G. Curtio et O. Ribbeckio moderatoribus, seminarii theotisci Heidelbergensis Carolo Bartschio regente, societatis philologicae Berolinensis Aem. Huebnero duce sodalis fui ordinarius. Spatia academica emensus in collegium et in ordinem praeceptorum regii gymnasii Friderico-Guilelmi Berolinensis receptus sum. — Studiorum meorum velut primus fructus provenit libellus inscriptus »Theophrast's Charakterbilder, übertragen und erläutert«, qui Lipsiae nuper emissus est.

Omnibus, qui me docuerunt, Viris Illustrissimis utpote de me optime meritis, ex animi sententia quam possum maximas jam ago semperque habebo gratias.